

1862

7638  
.47

*sup*

DE

TRANSITIONE AD PLEBEM.

QUAESTIO AD ROMANORUM

JUS PUBLICUM SPECTANS QUAM

SCRIPSIT

LUDOVICUS HOLZAPFEL

DR. PHIL.

LIPSIAE

IMPENSIS SALOMONIS HIRZELII

MDCCLXXVII

(RECAP)

7638  
.47



DE  
**TRANSITIONE AD PLEBEM.**

---

QUAESTIO AD ROMANORUM  
JUS PUBLICUM SPECTANS QUAM

SCRIPSIT

**LUDOVICUS HOLZAPFEL**

DR. PHIL.

LIPSIAE  
IMPENSIS SALOMONIS HIRZELII  
MDCCLXXVII.



## CONSPECTUS.

	pag.
Praemittenda.	
<u>Explanatur, quibus de causis patricii ad plebem transierint, et</u> <u>singula transitionis exempla enumerantur . . . . .</u>	1—4
<u>Quaeritur, qua ratione transitio ad plebem fieri debuerit. . . . .</u>	5—36
<u>§ 1. Beckeri et Mommsenii sententiae examinantur, dein</u> <u>quid ipsi statuamus exponitur . . . . .</u>	5—19
<u>§ 2. Agitur de Asberi conjecturis . . . . .</u>	19—23
<u>§ 3. Disputatur de eis quae Dernburgius excogitavit. . . . .</u>	23—25
<u>§ 4. Langei sententia examinatur . . . . .</u>	25—36

---



## PRAEMITTENDA.

Notum est apud Romanos saepius patricios ad plebem se contulisse idque eo potissimum consilio, ut tribunatum peterent<sup>1)</sup>, quo magistratu patricii legibus essent exclusi. Illae praeterea cogitari possunt transitionis causae, quod, cum ambos consules censoresque, omnes denique pontifices, augures, sacrorum decemviros plebejos esse liceret, patriciis ad omnes hos honores angustior erat aditus. Haec tamen longe minoris momenti erant quam tribunatus cupiditas.

Transitionis exempla<sup>2)</sup> jam ex antiquissimis temporibus inveniuntur, sed ea vel suspecta vel aperte falsa. Traditum est a Livii quibusdam auctoribus, L. Minucium, Maelianae caedis auctorem, cum per annos 440 et 439 praefectus annonae fuisset, anno 439 ad plebem transisse undecimumque tribunum cooptatum esse. In hoc magistratu seditionem ex Maeliana caede motam eum sedasse.<sup>3)</sup> Quod aperte fictum esse jam ipse Livius recte perspexit.<sup>4)</sup> Quae vero ejus mendacii ratio fuerit, plane e Cic. Brut. 16, 62 intellegitur.

---

1) Dio fragm. 22 — Zonaras 7, 15 et 7, 19.

2) Haec omnia jam Mommsenius, Römische Forschungen, p. 124 enumeravit tamque egregie de eis disputavit, ut ipse perpauca habeam quae addam. — 3) Liv. 4, 16.

4) *Sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret.* Neque tamen hoc argumento narratio refutatur, sed eo, quod undecim tribunos in re publica umquam fuisse prorsus incredibile est (Mommsen, Staatsrecht I<sup>1</sup>, 164, 2, II, 1, 251).

HOLZAPFEL, transitio.

*Multa, inquit, scripta sunt in eis laudationibus, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus: ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul anno decimo post exactos reges fuit. Vides igitur Minucios plebejos, qui posterioribus liberae rei publicae saeculis fuerunt, transitionem illam eo consilio commentos esse, ut ipsi ad vetustam ejusdem nominis gentem patriciam originem suam revocarent neve clientium tantummodo progenies esse viderentur.*

Audacius vero Octavioꝝ excogitata est transitio. Florebat haec gens inter plebejas nobilissima ultimis duobus liberae rei publicae saeculis. Num antea fuerint omnino Octavii dubitare licet, cum ex superiorum temporum memoria certi homines, quibus id nomen fuerit, nulli commemorantur. Atqui hoc legimus apud Suetonium.<sup>5)</sup> *(Octavia) gens a Tarquinio Prisco rege inter minores gentes adlecta in senatum, mox a Ser. Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit.* Quae narratio quid sibi velit luce clarius est. Illud videlicet Octavioꝝ intererat, ut a patriciis oriundi viderentur. Cum autem nulla ejusdem nominis gens patricia parata eis esset, ex qua item ut Minucii illi originem suam ducerent, hoc artificio usi sunt, ut fuisse quondam Octavios patricos fingerent, qui plebeji postea facti essent. Totum vero hoc mendacii genus latius patuit. Eo enim ventum est, ut originis patriciae simulandae causa falsi consules<sup>6)</sup> in priscorum temporum fastos inserebantur. De qua re copiosius agit Mommsenius, Röm. Forsch., p. 111 et 112.

Venimus nunc ad aliam transitionem non minus viris doctis suspectam. A. enim Aternius et Sp. Tarpejus, qui anno 454 consulatum gesserunt, quinque annis postea in tribunorum collegium cooptati esse dicuntur. Quod fieri non

5) Suet. Aug. 2.

6) cf. locus supra laudatus Cic. Brut. 16, 62.



potuit antea quam ad plebem transissent.<sup>7)</sup> In horum consulatu duabus de causis offendit Mommsenius (Röm. Forschungen p. 111, 112), primum quod praeter hos ipsos consules nulli usquam neque Aternii neque Tarpeji nominentur, dein quod idem ad plebem postea transisse dicantur. Quae si recte intellexi, vir clarissimus consulatum et transitionem ficta judicat. Quid vero tale mendacium sibi vellet, haec una a ratione explicari posset, ut posteriore aetate Aternios Tarpejosque plebejos patriciae originis arrogandae causa hoc artificio usos esse statueremus. Cui conjecturae illud ipsum obstat, quod in posteriorum temporum memoria hae gentes nusquam inveniuntur. Itaque tum eae aut nullae omnino fuerunt aut tam obscurae humilesque, ut nihil profecto valeret ad corrupendam priscorum temporum historiam. Accedit quod Aternius et Tarpejus ex Livii narratione patricii tribuni plebis facti sunt (cf. infra a. 7). Nemo profecto, qui transitionem fingere vellet, hoc excogitasset. Quare illos probabile est re vera et consules<sup>8)</sup> fuisse et ad plebem transisse, utramque autem gentem aequae atque Herminios et Geganios mox intermortuam esse.

Ex posterioribus saeculis primi commemorandi sunt Servilii Gemini. Auctorem hujus stirpis, P. Servilium, patricium

7) Liv. 3, 65: *Novi tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem fecerunt, duos etiam patricios consularesque Sp. Tarpejum et A. Aternium cooptavere.* Videntur igitur Livii auctores in ea sententia fuisse, ut patricios a tribunis plebis cooptari licuisse putarent. Idem ex alio hujus scriptoris loco apparet. Legimus enim 5, 10: *Pugnatum est inde in loca vacua (tribunorum), ut patricii cooptarentur... obtineri non poterat.* Paulo postea (5, 11) Cn. Trebonius, tr. pl., queritur: *eo revolvi rem, ut aut patricii aut patriciorum adseculae habendi tribuni plebis sint.* Quae ejus sententiae fuerit ratio, ingeniose explicat Mommsenius, Röm. Staatsrecht II, 1, 251, a. 4.

8) Isdem consulibus tribuitur lex illa quae erat de multae sacramento (Cic. de re publ. 2, 35, Lange, R. Alth. I<sup>o</sup> 620). Praeterea Tarpejus anno 449, cum plebs in Aventinum secessisset, a patribus cum aliis duobus consularibus ad illam legatus esse dicitur (Liv. 3, 50. Ascon. in Cic. Corn. p. 77 Orelli). Haec omnia ficta esse persuadere mihi non possum, quoniam nulli erant, quorum id interesset.

fuisse ex eo intellegitur, quod in utroque consulatu ann. 252 et 248 plebejum habuit collegam. Idem de priore ejus filio statnendum est, qui anno 217 cum homine plebejo consul fuit. De altero tamen filio, qui anno 218 triumvir coloniae deducendae a Bojis captus est, ambigitur. Hujus autem uterque filius plebejus erat. C. enim Servilius, cos. 203, anno 209 plebejam aedilitatem gessit, cum jam antea tribunus pl. fuisset, Marcus autem frater a. 211 in plebeji auguris locum cooptatus est<sup>9)</sup>, dein 202 cum patricio collega consul fuit. Incertum igitur est, utrum hi an jam pater eorum ad plebem transierit, sed hoc probabilius esse bene et acute exposuit Mommsenius, Staatsrecht I<sup>1</sup>, 386, a. 6.

Sequitur P. Sulpicius Rufus, seditiosissimus ille tribunus pl. Quem etsi patricium antea fuisse et ad plebem transisse nusquam legimus, tamen ut id statuamus cogimur, quod Sulpicios Rufos constat fuisse patricos. Notissima autem est transitio P. Clodii, qui anno 58 tribunus plebis fuit. De qua re cum postea accuratius agendum sit, hic verbo eam commemorare sufficit. Denique P. Cornelius Dolabella, M. Antonii triumviri socius et in consulatu collega, anno 48 ad plebem transit, ut deinde turbulentissimum tribunatum gereret.<sup>10)</sup>

Praeterea C. Claudius Pulcher, P. Clodii frater, a. 54 ideo ad plebem transire cogitavit, quod in consulatu petendo cum M. Aemilio Scauro, homine patricio, qui plurimum gratia valebat, contentionem sibi fore videbat.<sup>11)</sup> Quod si ab hoc dejectus esset, alterum saltem locum reliquum sibi esse volebat, quo, si patricius esset, excluderetur.

De consilio quo transitiones fiebant deque singulis exemplis satis nobis videmur exposuisse. Illud jam quaerendum est, qua ratione transitio fieri debuerit.

---

9) Hunc cum tribunum fuisse nusquam commemoretur, auguratus causa ad plebem eum transisse veri simile est.

10) Dio 42, 29. Errat Mommsenius, quod Dolabellam anno 47 ad plebem transisse dicit. Init enim tribnatum IV. Id. Dec. anni 49.

11) Cic. pro Scaur. § 34. Ascon. p. 25 Or.

## QUAERITUR QUA RATIONE TRANSITIO AD PLEBEM FIERI DEBUERIT. 4)

§ 1. Transitionem ad plebem eum in modum fieri potuisse consentaneum est, ut homo patricius a plebejo adoptaretur vel, si sui juris esset, arrogaretur. Hac ratione T. Manlii Torquati filius, homo patricius, cum a D. Junio Silano adoptaretur, plebejus factus est.<sup>2)</sup> Sed transitionis, quae proprie dicitur, longe diversa est ratio. Cum enim in adoptione nomen gentilicium mutari necesse esset, ita ut T. ille Manlius postea vocaretur D. Junius Silanus Manlianus, in eis transitionibus, quas supra enumeravimus, id nullo modo factum est. Hoc non solum in Serviliis Geminis et Cornelio Dolabella manifesto cernitur, sed illud potissimum documento est, quod eo consilio transitiones fingi solebant, *ut homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus.*<sup>3)</sup> Ex quo nomen gentilicium in transitione servatum esse plane intellegitur. Hanc igitur, quod recte Mommsenius cognovit, non per adoptionem, sed alio quodam modo factam esse statuendum est.

Tota vero ejus rei quaestio versari debet in P. Clodii Pulchri transitione, quippe quae una a scriptoribus copiosius narretur. Atqui illum anno 59 per arrogationem plebejum

1) De hac re copiosius agunt: Mommsen, R. Forsch., p. 125—127, 397—409. — Lange, über die transitio ad plebem, Leipzig 1864. — Asher, Heidelberger Jahrbücher der Literatur, 1864, p. 753—780. — Ihering, Geist des Röm. Rechts III, 1, 279—282. — Dernburg, Rheinisches Museum, 20. Jahrgang, 1865, p. 90—108.

2) Cic. de fin. I, 7, 24. Lange, l. l. p. 2.

3) cf. supra p. 2.

factum esse notissimum est. P. enim Fontejus<sup>4)</sup>, homo de plebe, cum arrogavit statimque emancipavit.<sup>5)</sup> Sic Clodius et ad plebem traductus et patris adoptivi potestate liberatus est. Nomen vero in posterum idem ei quod antea erat.<sup>6)</sup> Habes igitur transitionem, quam, etsi per arrogationem facta erat, nulla nominis mutatio consecuta est. Neque Beckerus<sup>7)</sup> dubitavit, quin haec ratio, qua Clodius usus est, justa omnino et legitima fuerit. At quo jure factum est, ut ille nomen gentilicium servaret? Qui cum per adoptionem e Claudia gente exisset et Fonteji filius factus esset, non Clodius, sed Fontejus vocari debuit, quod nomen vel tum, cum emancipatus esset, retinendum ei erat. Quam difficultatem Beckerus non expedivit, qui obiter tantummodo arrogationem illam tangeret.

Prorsus aliam viam ingressus est Mommsenius. Neque enim a Clodii arrogatione profectus est, sed eos conatus, quibus idem superiore anno, ut plebejus fieret, frustra nisus erat, primus accuratius consideravit. Duo autem scriptores sunt, a quibus ejus rei mentio fit, Cicero et Dio Cassius. Ille quae tum acta sunt compluribus epistolarum orationumque locis strictim tangit. In epistola ad Atticum 1, 18, quae anno 60 XI. Kal. Febr. data est, illud legitimus: *Est autem C. Herennius quidam, tr. pl., quem tu fortasse ne nosti quidem—tametsi potes nosse; tribulis enim tuus est et Sextus, pater ejus, nummos vobis dividere solebat—: is ad plebem P. Clodium traducit, idemque fert, ut populus universus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat* (i. e. centuriatis comitiis.<sup>8)</sup>) *Ilunc ego accepi in senatu*<sup>9)</sup>, ut soleo, sed

4) Cic. de dom. 29, 77.

5) ibid. 14, 37.

6) vid. infra p. 25.

7) Handbuch der Röm. Alterthümer II, 1, 156.

8) De tributis comitiis cum Marquardtio (II, 3, 195), Drumanno (Geschichte Roms II, 219), Langeo (üb. d. transit. p. 9, a. 4), Bootio (ad h. l.) ideo cogitari non potest, quod haec comitia numquam in campo Martio habita esse videntur, nisi quae erant magistratibus creandis (cf. Mommsen, Röm. F., p. 190, a. 22). Nunc Langeus et ipse (R. Altth. III, 265) centuriata comitia significari statuit.

9) Ex his verbis Asherus l. c. p. 772 ad senatum de re Clodii

*nihil est illo homine lentius. Metellus est consul egregius et nos amat, sed imminuit auctoritatem suam, quod habet<sup>10)</sup> dieis causa<sup>11)</sup> promulgatum illud idem<sup>12)</sup> de Clodio.* Paulo postea, Id. Mart., Cicero de eadem re Attico haec scribit (1, 19, 5): *Haec sunt in re publica, nisi etiam illud ad rem publicam pertinere putas, Herennium quendam, tribunum pl., tribulem tuum, sane hominem nequam et egentem, saepe jam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse; huic frequenter<sup>13)</sup> interceditur.*

Quae si ita, ut scripta sunt, intelleges, non poteris quin Herennium putes legem de Clodio tulisse, Metellum dumtaxat promulgasse. Illud enim plane apparere videtur

relatum esse colligit. Quod ut statuamus minime cogimur. Licebat enim senatoribus, cum sententiam rogati essent, antea quam decernerent alia tangere, quae ad rem ipsam prorsus non pertinerent. (Becker II, 2, 429.) Quidni Ciceronem eo iure usum esse putes?

10) Verba *habet promulgatum* prorsus idem valent quod *promulgavit*, eodem modo quo Cic. in Vat. 7, 16 legitur: *omnes habuerunt leges promulgatas*. Sed Bootius ad h. l. hanc interpretationem reicit, quia non ab Metello, sed ab Herennio lex promulgata sit. *Habet* igitur idem significare vult quod *judicat*. In quem errorem vir doctissimus non incidisset, si de lege centuriata tum actum esse intellexisset, quam Herennius, qui plebis magistratus esset, promulgare omnino non potuit. Eodem errore lapsus est Drumannus V, 595.

11) *Dicis* causa nihil aliud significat quam „znm Scheine“ vel „λόγον χάριν“. Quae interpretatio eo confirmatur, quod Varro de l. L. 6, 61 vocem „dicis“ derivandam putat a verbo dicere (cf. *δίκηνμι*). Prorsus perversam de hac re sententiam proposuit Klotzcius, Neue Jahrb. f. Philol., 23, 210. Metellus igitur, quamquam de re publica maxime cum Clodio dissentiebat, tamen, cum idem affinitate ei esset conjunctus, dicis causa legem promulgavit, i. e. ut Clodio favere videretur. Neque enim ignorabat adversarios summa contentione rogationem impedituros esse, id quod postea factum est.

12) Bootius vocem „idem“, quam pro accusativo haberet, e textu sustulit. Sed haec enuntiati sententia est: Metellus ist ein guter Consul..., doch schadet er seinem Ansehen, weil er gleichwohl (idem) jenes Gesetz bezüglich des Clodius promulgirt hat.

13) i. e. saepe interceditur; saepe enim id fieri opus erat, quia saepe Herennius ut rogationem perferret nitentur. Nihil igitur est, cur hoc loco cum Graevio, Bootio, Hofmanno de frequentibus intercessoribus cogitemus, quamquam loquendi usus huic interpretationi non obstat.

e verbis: *idemque fert, ut populus universus . . . suffragium de re Clodii ferat* et ex eis quae in insequenti epistola legimus: *Herennium saepe jam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse*. At enim tribunis plebis cum populo agere non licebat. Quem scrupulum haud scio an missurus sis, si in perduellionis iudicio centuriata comitia a tribuno habita esse memineris, si dies ei a praetore data esset.<sup>14)</sup> Quidni simili modo statuamus Metellum Herennio cum populo agendi jus concessisse idque ita significasse, ut ipse Herennii nomine rogationem promulgaret?

Cui vero haec non probantur, is cogitur, ut cum Ashero<sup>15)</sup> ipsum Metellum legis latorem, Herennium auctorem dumtaxat fuisse censeat. Quae quidem sententia defendi nequit, nisi in Ciceronis illis locis explicandis artificis quibusdam utaris. Quae qualia sint, ex eis perspicies quae Asherus excogitavit. Fingit enim vir doctissimus primum Herennium in contione<sup>16)</sup> tulisse, ut populus universus de Clodio suffragium ferret. Hoc significari putat verbis *idemque fert*<sup>17)</sup> et q. s. Quo facto Metellum consulem rogationem dicis causa promulgasse, sed nihil postea ad populum tulisse. Herennium autem, cum rem trahi videret, cum senatu egisse, ut consul legem aliquando ferret. Huc enim Asherus spectare putat verba *Herennium saepe jam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse*. Vides satis multa virum doctissimum finxisse, quae in epistolis illis scripta non sint. Quae

14) Mommsen, Staatsr. I', 146.

15) l. c. p. 772.

16) Hoc quidem non intellegitur, quid in contione ferri potuerit, in qua nullum omnino suffragium fieret. Videlicet plebis concilium vir doctissimus intellegi voluit, nam in eadem pagina plebis jussu legem centuriatam promulgatam esse dicit.

17) Sed jure quaeritur, cur non perfecto potius tempore Cicero usus sit, ut illud significaret. Namque Ashero-auctore hic rerum ordo constituendus est: „Herennius in plebis concilio tulit, ut —; Metellum promulgavit“. Cum nostra autem sententia praesens tempus egregie quadrat, tum enim enuntiato *idemque fert ut populus . . . ipsa lex centuriata significatur*. Quae cum promulgata demum, lata nondum esset, praesenti videlicet tempore scriptor uti debebat.

si omnia Cicero intellegi voluisset, vix dubito, quin copiosius rem exposuisset, ne Atticus quasi in aenigmatis haereret. Dein, si Asheri explicationem sequeris, minime intellegitur, cur Metellus auctoritatem suam imminuerit, qui ex plebiscito legem centuriatam promulgasset. Jure autem consul reprehendi poterat, si illud idem sua sponte fecerat. Haec potissimum me moverunt, ut ad eam quam supra proposui conjecturam confugerem.

In insequentibus epistolis nulla jam legis ab Herennio agitatae mentio fit. Mense autem Junio Cicero Atticum certio-rem facit Metellum Clodii consilia praeclare impedire et impediturum esse.<sup>18)</sup> Unde Bruecknerus (Leben des M. Tullius Cicero, p. 292), Drumannus (II, 220, a. 69), Mommsenius (R. F., p. 125, a. 115), Asherus (p. 772) collegerunt etiam- tum de traducendo Clodio actum esse et consulem ne id fieret obstatisse, sed ut jam recte Langeus (üb. d. trans. p. 22) intellexit, tribunatum Clodius tum petivit, cui adversatus est Metellus. Quod facile cognosces, si ea quae sequuntur perlegeris: *Ille autem (Clodius) non simulat, sed plane tribu- nus pl. fieri cupit. Qua de re cum in senatu ageretur, fregi hominem et inconstantiam ejus reprehendi, qui Romae tribunatum pl. peteret, cum in Sicilia aedilitatem se petere dicitasset. . . . . Quin<sup>19)</sup>, etiam cum candi- datum deduceremus, quaerit ex me. . . . .* Ex quo apparet Clodium tribunatum petisse et in senatu de ea re actum esse. Quae vero hujus ordinis fuerit sententia, plane significat Ci- cero de har. resp. 21, 44: *Hanc ob amentiam. . . . . arreptus<sup>20)</sup> est unus ex patriciis, cui tribuno plebis fieri non liceret. Quod anno ante (i. e. eo anno qui ante Caesaris consula- tum erat) Metellus et concors etiam tum senatus prin- cipe Cn. Pompejo sententiam dicente excluserat acerrime- que una voce ac mente restiterat* (ne tribunus pl. Clodius

18) ad Att. 2, 1, 4.

19) ad Att. 2, 1, 5.

20) Immo abreptus scribendum est, i. e. e patriciis ad plebem tractus. Quid arreptus in hoc verborum contextu sibi velit, nullo modo intellegere possum.

fieret)<sup>21)</sup>, *id post discidium optimatum... ita perturbatum itaque permutatum est, ut, quod frater consul ne fieret obstitit . . . . ., id is consul (Caesar) efficeret in discordiis principum, qui illi unus inimicissimus esse debuerat. . . .* Videtur igitur senatus consultum factum esse, ne comitiis tribuniciiis P. Clodii ratio haberetur.<sup>22)</sup> Ceterum magna contentione in illo senatu pugnatum esse intellegitur ex Cic. Cael. 24, 60: *Quem quidem virum (Metellum) si nulla vis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille farenti fratri suo patrueli (Clodio) restitisset, qui consul incipientem furem atque conantem sua se manu interfecturum audiente senatu dixerit?*

Habes fere omnia quae de hoc Clodii conatu a Cicerone commemorantur. Unde homines docti uno consensu<sup>23)</sup> collegerunt jam illo tempore arrogationem agitatam esse, quamquam scrupulum illud inicere debebat, quod, cum curiatis comitiis arrogationes fierent, de P. Clodio centuriata (vel, ut falso illi plerique statuebant, tributa) lex lata erat. Quam sententiam prorsus falsam esse luculente demonstravit Mommsenius Dionis Cassii narratione acriter examinata. Is enim 37, 51 Clodio auctore tribunos quosdam rogationem tulisse narrat, ut patriciis tribunatum petere liceret. Quo consilio ad irritum redacto illum jure jurando patriciatum abdicasse et ad plebis jura transisse, cum in ipsum ejus concilium venisset.<sup>24)</sup> Quo facto statim tribunatum eum pe-

21) Asherus quidem, si recte ejus sententiam intellexi, p. 773 fin. dubitanter ex his verbis colligit etiamtum a nescio quo homine in senatu mentionem factam esse, ut tandem aliquando Clodius ad plebem traduceretur, sed senatum hoc rejecisse. Praestat tamen hunc locum ad tribunatus petitionem revocare, quam summa contentione Metellum impedisse scimus, cum idem de transitione nullo modo constet.

22) Simili modo anno 184 in senatu deliberatum est, num Fulvium Flaccum, qui aedilis curulis designatus esset, eundem praetorem creari liceret (Liv. 39, 39).

23) Drumann II, 219. Brückner, l. c. 292, 293. Boot ad Cic. Att. I, 18, 4. Hofmannus ad Cic. Att. I, 19, 5. Marquardt, Handb. d. R. Alth. II, 3, 195.

24) . . . ὡς δ' οὐκ ἔπεισε, τὴν τε εὐγένειαν ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὰ



tisse neque tamen adeptum esse adversante Metello ea de causa, quod contra leges ad plebem transisset. Hoc enim sola lege curiata, i. e. per arrogationem effici potuisse Dio adicit.<sup>25)</sup>

Vides tum non per arrogationem, sed prorsus alia ratione Clodium ad plebem transire voluisse. Antea autem quam quid inde collegerit Mommsenius exponamus, illud quaerendum est, quo modo ea quae apud Ciceronem legimus cum Dionis narratione cohaereant. Nihil enim aliud ambo-

*τοῦ πλῆθους δικαίωματα ἐς αὐτὸν σφῶν τὸν σύλλογον λειθῶν μετίστη.* Verbis αὐτὸν σφῶν τὸν σύλλογον plebis concilium significatur, nam σφῶν ad τὸ πλῆθος referendum est. Jam vero, si verborum collocationem respexeris, ἐς αὐτὸν σφῶν τὸν σύλλογον λειθῶν non ad totum enuntiatum referes, sed cum altera tantummodo parte καὶ πρὸς τὰ τοῦ πλῆθους δικαίωματα μετίστη conjunges. Hoc recte intellexerunt Mommsenius p. 126, Dernburgius l. c. p. 103, Asherus l. c. p. 767. Itaque non assentimur Langeo, qui (üb. d. trans. p. 6) in plebis concilio Clodium patriciatum abdicasse ex illis verbis colligit, quam sane interpretationem ipse Mommsenius l. c. p. 399 secutus est.

25) Dio 37, 51: καὶ ἤτεσε μὲν εὐθὺς τὴν δημοκρατίαν, οὐκ ἀπειδείχθη δὲ ἐναντιωθέντος οἱ τοῦ Μιτίλλου. . . . πρόφασιν δὲ ἐποίησατο (Μιτέλλος), ὅτι μὴ κατὰ τὰ πάτρια ἢ ἐκποιήσεις αὐτοῦ ἐγγιγόνει ἐν γὰρ τῇ ἱσφορῇ τοῦ φρατρίατικοῦ νόμου μόνως ἐξῆν τοῦτο γίγνεσθαι. Voce φρατρίατικὸς νόμος aequae atque 39, 11 lex curiata de arrogatione significatur. — Mirum in modum Mommsenius l. c. p. 126 et 402 et Langeus l. c. p. 8 et 21 lapsi sunt in verbis πρόφασιν δὲ ἐποίησατο, quae uterque vertit: „praetextu usus est“, proinde ac si Dio futilli argumento consulens nisum esse diceret. Sed idem postea contra leges Clodium ad plebem transisse iudicat, cum curiata lege opus fuisse exponit. Num potuit scriptor adeo sibi ipse repugnare? Langeus quidem hoc statuit et admodum Dionem reprehendit (p. 21). Quod injuria profecto facit. Neque enim vox πρόφασιν semper praetextus habet intellectum, sed potest etiam justam causam significare, ut apud Polybium 6, 26, 4 (ed. Hultsch), ubi de militum dilectu agitur: παραγίνονται δὲ πάντες ἀδικαπειῶτες οἱ καταγραφέντες ὡς ἂν μηδμιᾶς ἄλλης συγχωρομένης προφάσεως τοῖς ἐξορκισθεῖσι πλὴν ὀρνιθίας καὶ τῶν ἀσθενάτων. Cf. etiam Isocr. 1, 23: ὄρκιον ἐπακτὸν προσδίδχον διὰ δύο προφάσεις, ἧ σεαυτὸν αἰτίας ἀσχερᾶς ἀπολύων ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων. Neque Dio quod dicit 38, 12 Clodium a Caesare iterum ad plebem traductum esse, idcirco jam a. 60 legitime illum plebejum factum esse iudicat. Videlicet quod contra leges actum erat, hoc, ut ratum esset, iterum justo modo fieri oportebat.

rum auctorum commune est, nisi quod uterque Metellum consulem Clodio tribunatum petenti restitisse dicit; cetera ita comparata sunt, ut, quae alter tradit, ea ab altero omitantur. Herennium enim legemque centuriatam, cujus Cicero mentionem facit, Dio ne verbo quidem tangit. Quod vero ipse narrat Clodium primo nisum esse, ut patriciis tribunatum petere liceret, dein, cum id non impetrasset, patriciatum abdicasse, haec a Cicerone nullo modo commemorantur. Quae res optime ita expedietur, ut primo de lege centuriata actum, postea demum quae a Dione narrantur secuta esse statuamus. Cum enim lex illa a mense Januario usque ad mensem Martium agitata sit, dein, ut videtur, refrixerit, usque ad comitiorum tribuniciorum tempus tres fere menses reliqui sunt, in quos ceteros Clodii conatus commode relegemus. Hos autem ne ante legem centuriatam incidisse putemus, illud impedit, quod P. Clodius, quem post Idus Maj. anni 61 quaesturam Syracusanam inisse scimus<sup>26)</sup>, non potuit e provincia decedere ante mensem Majum vel Junium anni 60.<sup>27)</sup> Toto igitur hoc temporis spatio, quo ab urbe aberat, fieri non potuit, ut patriciatum abdicaret aut in plebis concilium veniret. Quae tum demum facta esse consentaneum est, cum Romam ille redisset, i. e. paulo antea quam epistola ad Att. 2, 1 data est, in qua Clodium Romae tribunatum petere legimus. Cum quo optime congruit, quod Dione auctore Clodius, ubi patriciatum abdicavit, statim tribunatum petiit. Illam autem rogationem, ut patriciis tribunatum petere liceret, nihil obstat quin paulo ante Clodii reditum latam esse putemus.<sup>28)</sup>

26) De quaestura vide Drumannum II, 217. Cic. har. resp. 20, 43. argum. et schol. in or. in Clod. et Cur. p. 330 fin. et 333. Magistratum post Id. Maj. Clodium inisse ex eo apparet, quod illo die in senatu cum Cicerone altercatione certavit. Cf. Cic. Att. 1, 16, 8 sq.

27) Errat igitur Bruecknerus l. c. p. 292, quod jam ineunte anno 60 Romam Clodium redisse opinatur.

28) Sic Langeus statuit p. 9, a. 4. Quamquam idem dubitat, an Herennii rogationem Dio in hanc sententiam per errorem acceperit, quod etiam Ashero p. 775 veri simile videtur.

His feliciter explanatis videamus jam, quid Mommsenius e Dionis narratione collegerit. Ac primum summus vir illud recte cognovit, legitimam transitionem non per adoptionem factam esse, sed per jus jurandum. Hoc enim non Clodii solum exemplo probatur, sed egregie confirmatur Zonarae illo loco, quo in universum de transitione agitur.<sup>29)</sup> Sed aliud praeterea invenisse sibi videtur Mommsenius. Illud enim jus jurandum, quo patriciatus abdicatus sit, nihil aliud fuisse arbitratur quam sacrorum detestationem calatis comitiis, cujus Gellius mentionem faciat.<sup>30)</sup> Vides multum recedere Mommsenium a vulgari sententia, qua sacrorum detestatio cum arrogatione conjungitur.<sup>31)</sup>

Haec si recte vir clarissimus statuit, in eo nimirum offendendum est, quod Metellus ejusmodi transitionem contra leges factam judicavit. Sed facile Mommsenius hoc explicari posse opinatur. Calata enim comitia a pontifice maximo haberi debuisse (p. 403, a. 8). Cum vero Caesar, qui tum cum magistraturam tenebat, non Romae, sed in Hispania fuerit<sup>32)</sup>, dubitari posse, num illa comitia fieri potuerint. Itaque suspicatur ad eam rationem Clodium confugisse, ut in contione<sup>33)</sup> tribunicia patriciatum abdicaret, et hanc fortasse

29) De Clodio, ut supra vidimus, illud narratur a Dione 37, 51: „τὴν τε ἐγγένειαν ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα . . . . μετίστη.“ Isdem fere verbis Zonaras 7, 15 justae transitionis rationem describit: „καὶ τέλος καὶ τῶν βουλευτῶν τινες ἤξιωσαν δημοκρεῖν, εἰ μὴ τις ἐπατριδῆς ἐτύγχανεν . . . . εἰ δὲ τις τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὴν τοῦ πλήθους μετίστη νόμισιν, ἀσμένως αὐτὸν προσεδίχοντο. καὶ σχυροὶ τῶν σφόδρα ἐπατριῶν ἀπειπαντο τὴν ἐγγένειαν . . . . καὶ ἰδημάρχησαν.“

30) N. Att. 15, 27: *isdem comitiis, quae calata appellari diximus, sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant.*

31) Savigny, vermischte Schriften I, 196. Marquardt IV, 239.

32) Rediit Romam mense Junio anni 60. Cic. Att. 2, 1, 9.

33) Reprehendit Langeus l. c. p. 27 et 28 Mommsenium, qui hoc tamquam suam conjecturam proferat, quod ipse (Langeus) antea p. 6 Dionis verba accurate interpretatus collegerit. Sed cum, ut supra p. 10 s., a. 24 exposuimus, ab illo scriptore neque quo loco neque quibus testibus Clodius patriciatum abdicaverit significetur, de hac re conjecturam proferre Mommsenio liberum est.

causam fuisse, cur Metellus contra leges Clodium ad plebem transisse censeret, nisi quis de intercessione<sup>34)</sup> cogitare malit, qua Cicerone auctore transitio impedita sit. Dionem vero, cum hoc anno frustra Clodium id tentasse videret, quod postero anno per arrogationem assecutus esset, facile in eum errorem adduci potuisse, ut nullam nisi hanc transitionis rationem justam putaret et Metellum hoc ipso argumento contra Clodium usum esse fingeret.<sup>35)</sup>

Quaeramus jam, quid de tota hac Mommsenii conjectura statuendum sit. Illud quidem dubitari non potest, quin transitiones factae sint per patriciatus abdicationem. Quod vero Mommsenius hanc idem esse vult quod sacrorum detestationem, hoc non modo non probavit, sed contrarium facile poterit demonstrari. Nam quae tandem sacra in transitione detestanda erant? Quod in priore quidem commentatione (p. 124—127) vir doctissimus nullo modo significavit, sed postea p. 398 plane sententiam suam hisce verbis exposuit: *Nach meiner Ansicht genügt dazu (zur transitio) die förmliche und eidliche Erklärung des Austritts aus dem Geschlecht vor der durch den Pontifex maximus versammelten Menge (detestatio sacrorum calatis comitiis)*. Gentem igitur statuit in transitione relinquendam fuisse<sup>36)</sup>, eum

<sup>34)</sup> Miro quodam errore lapsus est Mommsenius, quod transitioni intercessum esse arbitratur, id quod fieri omnino non poterat nisi in senatus consultis vel in rogationibus vel in magistratum decretis (Mommsen. Staatsr. I, 221 sq.). Intercessio autem illa, quam Cicero commemorat ad Att. I, 19, pertinet ad legem Herenniam de Clodio traducendo, quae, ut supra p. 12 demonstravimus, aliquanto ante patriciatus abdicationem agitata est. Quae omnia bene exposuit Langeus p. 28.

<sup>35)</sup> Fugit Mommsenium, non λέγειν Dionem scripsisse, sed λέγειν. Itaque scriptor hoc non Metello tribuit, ut recte monet Langeus p. 20, sed ipse de suo addit, ut explicet, cur contra leges Clodius egerit.

<sup>36)</sup> Huic conjecturae saepius ipse Mommsenius aperte repugnat. P. enim 397 legimus: *Zunächst gibt Lange zu, dass . . . die Adoption eines Patriciers in eine plebejische Familie und die transitio ad plebem zu scheiden sind, indem . . . das Geschlecht und der Geschlechtsname bei jenem Act wechselt, bei diesem bleibt*. Similiter p. 403: *Es gibt zugestanderer Massen zwei Arten des Austritts aus dem Adel*,

in modum, ut sacra gentilicia jure jurando abdicarentur. Cui sententiae primum repugnat definitio illa, qua Q. Scaevola pontifex gentilium notionem circumscripsit (Cic. Top. 6, 29): *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum majorum nemo servitute servivit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scaevolam pontificem ad hanc definitionem addidisse.* Vides in hac definitione prorsus nullum discrimen fieri inter patricos et plebejos. Ex quo concludi potest, eum patricium, qui ad plebem transisset, cum nomen gentilicium retineret, patriciae gentis etiam tum fuisse gentilem. Quod si recte se habet, nequaquam statuere licet in transitione sacra gentilicia amissa esse. Dein, si fieri potuit, ut Claudii patricii cum plebeja familia Marcellorum unam gentem efficerent<sup>37)</sup>, cur eos plebejos, qui patricii antea fuissent, gentibus patriciis exclusos fuisse putes? Hoc eo minus veri simile est, quod idem per transitionem in

---

*mit und ohne Wechsel des Geschlechts.* p. 404: *Was bleibt da für den Austritt ohne Geschlechtswechsel, als eine Form ohne Adoption, wie sie der transitio ad plebem entspricht?* Quod si haec Mommsenii sententia est, ut gentem in transitione servatam esse putet, nullo modo, ut recte monet Dernburgius p. 102, explicatur, cur sacra egerari debuerint. Neque haec cum Mommsenii sententia ullo modo possunt concillari (p. 127): *In patricischen Geschlechtern mag neben dem Patricier, auch dem ausgetretenen Geschlechtsgenossen und dessen Descendenten, nicht aber dem in eine plebejische Familie übergetretenen und dessen Nachkommen gentilicisches Erbrecht zugestanden haben.* Quo jure hereditatem petere ei licebat, qui, ut Mommsenius statuit, per sacrorum detestationem gentem reliquisset?

37) Huic rei documento potissimum est clarissima causa hereditaria, qua illi inter se certarunt (Cic. de or. 1, 39). In hac controversia Claudii patricii, si sibi solis gentilitatis jura arrogaverunt, id ea fortasse de causa fecerunt, quod Marcellos a Claudiae gentis clientibus, vel, ut Mommsenius (Röm. F. p. 382) statuit, a libertinis oriundos fuisse fingerent, qui ex Scaevolae definitione utrique gentilium numero excludebantur. Sed, utut est, illud saltem ex tota hac causa haud dubie apparet, Marcellos ad Claudiam gentem pertinuisse, licet non gentilium, qui proprie dicuntur, sed clientium jura haberent.

nullam aliam gentem venerant. Quae cum ita sint, sacrorum detestationem non cum transitione ad plebem conjungamus, sed ad eorum potius sententiam revertamur, qui ad arrogationem pertinuisse illam putant. Hoc primum eo commendatur, quod curiatis comitiis et sacrorum detestatio et arrogatio fiebat.<sup>38)</sup> Dein prorsus conveniebat, eum, qui per arrogationem in aliam gentem veniret, ejus gentis, quam relinqueret, sacra detestari. Sacrorum igitur detestatio nihil aliud erat, quam ipsius gentis abdicatio, id quod optime exposuit Savigny, verm. Schr. I, p. 197.

Haec de sacrorum detestatione. De qua licet erraverit Mommsenius, tamen alterum illud infirmari non potest, transitionem factam esse per patriciatus abdicatorem; nam hac ratione, ut supra vidimus, non Clodius solum usus est, sed Zonara auctore omnino transitiones ita fieri solebant (p. 13, a 29). Jure igitur Mommsenius Dionem errasse dicit, quod nisi per arrogationem transitionem fieri non potuisse putarit. Neque Metellus consul hoc argumento usus esse videtur, qui si id fecisset, Dionem non *μόνος ἐξῆν*, sed *μόνος ἐξείναι* scripsisse veri simile est. Itaque nihil aliud agitur, nisi mera Dionis conjectura. Quod vero Metellus legitime Clodium plebejum factum esse negavit, hoc alio modo facillime explicabitur. Cur enim, quaeso, lex illa centuriata de Clodio traducendo per duos fere menses (cf. p. 6 s.) tanta contentione agitata est?<sup>39)</sup> Hoc profecto non opus fuisset, si per merum jus jurandum licuisset ad plebem transire. Optime vero quae ejus rei ratio fuerit intellegetur, si cum Ashero (l. c. p. 774) patriciatus abdicatorem populi injussu fieri non potuisse statuamus.<sup>39)</sup> Ita

38) Nihil attinet, quod sacrorum detestatio calatis comitiis facta esse dicitur, quae a curiatis comitiis hoc uno differebant, quod nulla lex rogabatur, sed populus tantummodo testimonii causa aderat.

38) Hujus legis Mommsenius in tota quaestione nullam facit mentionem, ne in p. 399 quidem, quo loco id maxime fieri debebat. — Respicendum est ipsum Metellum legem centuriatam promulgasse. Num potuit idem postea judicare transitionem per arrogationem fieri debere?

39) Si sola patriciatus abdicatorem transitio fieri potuisset, haec ratio aequae facilis haud dubie fuisset, quam si quis in plebejam fami-

enim si res se habebat, omnia scilicet in centuriata lege posita erant; quae si impediretur, transitionem fieri omnino non licebat. Atqui meministi rogationi illi, quae de Clodio traducendo lata erat, frequenter intercessum esse (p. 7).<sup>39)</sup> Quod si, ut videtur, nulla lege perlata Clodius patriciatum abdicavit, habes justam causam, cur Metellus contra leges ad plebem eum transisse judicaverit et senatus, ne idem tribunus fieret, obstiterit.

Hoc si recte conjecimus, miro quodam modo transitionem respondere videbis arrogationi. In illa enim patriciatu, in hac gens paterna, quae relinqueretur, egeranda erat, utrumque autem populi jussu fieri debebat. Atque egregie convenit, quod in arrogatione, quae ad jus gentilicium spectaret, pontificum decreto et lege curiata, in transitione autem, qua civitatis status mutaretur, lege centuriata opus erat.<sup>40)</sup> Denique ambarum actionum similitudo ea re cernitur, quod ei, qui arrogarentur, in alienam familiam transire dicebantur.<sup>41)</sup>

Sed praeter legem centuriatam et jus jurandum alia quadam re ad transitionem opus fuisse ex eo apparet, quod Clodius, cum patriciatum abdicasset, in plebis concilio ad plebis jura transiit. Et ejusmodi actionem jus jurandum secutam esse hisce Zonarae verbis confirmatur (7, 15): *εἰ*

liam lege curiata arrogaretur statimque emanciparetur. Talem autem adoptionem, ad quam Clodius confugit anno 59, Cicero his verbis reprehendit (de dom. 14, 37) *probate genus adoptionis . . . jam patricius nemo relinquetur*. Quae argumentatio prorsus nullam vim haberet, si eis, qui ad plebem transire vellent, alia via patuisset non minus expedita.

39) Alio praeterea modo rogationem impeditam esse postea probabimus (p. 22 sq.).

40) Nullum senatus consultum antea fieri debuisse consentaneum est, quoniam non rei publicae, sed unius civis causa agebatur.

41) Asc. p. 25: *ex patricia in plebejam familiam transierat* (Clodius). Gell. 5, 19: *arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit*. Serv. ad Verg. Aen. 2, 156: *consuetudo apud antiquos fuit, ut qui in familiam vel gentem transiret. . .* Cf. praeterea Plnt. Cat. 40: *παρὰ νόμους μὲν οὐ δῆμαρχον αἰρεθῆναι τὸν Κλωδίον, ἐκ πατρικίων μεταστάντα νόμου δίδόντος εἰς δημοτικὸν οἶκον*. Omnes hos locos jam Langeus collegit l. c. p. 5, a. 3 et p. 19, a. 1.

δέ τις τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὴν τοῦ πλῆθους μετέστη νόμισιν. Vides hoc quoque loco transitionem ipsam acriter distingui a patriciatu abdicatione. Nam si ipso jure jurando transitionem factam esse significaretur, hoc potius, ut recte Langeus vidit (p. 18, a. 1), expectaremus: τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα ἐξωμοσάμενος μετέστη. Quare minime dubito, quin is omnino mos observatus sit, ut ceteris rebus legitime peractis in plebis concilio ipsa transitio fieret. Cui rei eum tribunum, qui concilium haberet, praefectum fuisse consentaneum est. Fortasse nihil aliud fiebat, nisi ut tribunus eum, qui traducendus esset, sollempnibus verbis plebejorum renuntiaret.

Patriciatu abdicatio, quibus testibus fieri debuerit, in incerto relinquendum est, cum neque Dio (cf. p. 10, a. 24) neque Zonaras ejus rei faciant mentionem. Illud autem maxime convenisse puto, eum, qui ad plebem transire vellet, in ipso plebis concilio patriciatum abdicare.<sup>42)</sup>

Atque si hac ratione transitio fiebat, plane intellegentur verba illa Ciceronis (Cic. ad Att. 1, 18): *Est autem C. Herennius quidam, tribunus pl., . . . . Is ad plebem P. Clodium traducit idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat.* Cur, quaeso, Clodium Herennius traducere dicitur? Num ea de causa, quod legem centuriatam tulit? Quod si ita esset, ineptissimo profecto dicendi genere Cicero usus esset. Duo enim enuntiata, quorum prius altero explanaretur, ita conjunxisset, ut voce idemque commune subjectum repeteret. Hoc tum solum fieri potest, si altero enuntiato nova actio additur, non si eadem actio, quae priore enuntiato continebatur, aliis verbis circumscribitur. Nempe expectaremus: *fert enim, ut . . .* Aptissima autem efficietur sententia, si ponemus, ab initio constitutum fuisse, ut in plebis concilio ab Herennio convocato Clodius traduceretur, idque significari verbis *Herennius*

42) Hoc ipsius Clodii exemplo confirmaretur, si Dionis narrationem cum Langeo in eam sententiam accipere liceret, ut illum in plebis concilio patriciatum egerasse statueremus (cf. p. 10, a. 24).



*Clodium traducit.*<sup>43)</sup> Tum enim ea quae sequuntur *idemque fert* . . . ad aliam rem spectant ab ipsa traductione prorsus diversam. Neque jam adeo mirabere, quod eidem, qui Clodium ad plebem traducturus erat, concessum est, ut ipse de ea re legem a consule promulgatam ad populum ferret.

At, si nostra sententia recte se habet, cur Clodius anno 59 non eadem ratione qua antea usus est, sed per arrogationem ad plebem transiit? Illud videlicet metuebat, ne legi centuriatae aequae ac superiore anno intercederetur, praesertim cum alter consul et tres tribuni<sup>44)</sup> maxime sibi essent inimici. Arrogatio autem multo minorem habebat difficultatem, quod lex curiata a triginta licitoribus juberi poterat. Qui si trinundino neglecto<sup>45)</sup> celeriter cogebantur, id quod in Clodii causa haud dubie factum est<sup>46)</sup>, res confici poterat antea quam adversarii certiores fierent.

Ut igitur quaestionis nostrae summam paucis complectamur, si quis legitime ad plebem transire vellet, haec fieri opus erat. Primum legem centuriatam ferri oportebat, qua populus transitionem juberet, dein patriciatus abdicatio<sup>46a)</sup>, postremo nescio quo modo in plebis concilio ipsa transitio fieri debebat.

§ 2. Haec omnia jam Asherus<sup>47)</sup> ad justam transitionem necessaria fuisse cognovit, sed idem, cum de singulis rebus accuratius ageret, tantis erroribus ductus est, ut minime mirandum sit, ea quoque, quae recte ille vidisset, ab hominibus doctis neglecta adhuc esse.

43) Praesens tempus cum nostra conjectura non pugnat, si interpretaris: Herennius Clodii traductor est.

44) Dico Cn. Domitium Calvinum, Q. Ancharium, C. Fannium. Schol. Bob. ad Cic. Sest. 53, 1, p. 304 Or.

45) Cic. de dom. 16, 41. Dio Cass. 39, 11.

46) Lange, l. c. p. 30, a. 2.

46<sup>a</sup>) Consentaneum est patriciatum etiam a filio familias abdicari potuisse, dummodo pater ejus rei auctor factus esset. Si autem in hac actione sacra detestanda fuissent, hoc ab eis tantum fieri potuisset, qui sui juris essent, id quod ipse Mommsenius statuere videtur Staatsr. II, 1, 36.

47) Heidelberger Jahrbücher der Literatur, 1864, p. 753—780.

Primus autem Asheri error ille est, quod transitioni quae proprie vocatur nullum locum fuisse putat nisi in senatoribus patriciis. Hoc enim inde sequi arbitratur, quod omnes, qui ad plebem transisse dicantur, senatorii ordinis fuerint (p. 760). Est hoc quidem rectum, sed vereor, ne ex tam paucis exemplis nihil certi colligere liceat. Provo- cat autem frustra vir doctissimus ad Zonaram, qui illo loco de quo jam saepius egimus (7, 15) postremo vel senatores quosdam tribunatus cupiditate adductos esse narrat, ut ad plebem transirent. Quasi vero ceteri homines patricii his verbis excluderentur! Hoc nullo modo fieri egregio documento est, quod vel senatores tribunatum expetisse dicuntur (καὶ τέλος καὶ τῶν βουλευτῶν τινες ἤξιωσαν δημαρχεῖν). Quo igitur saepius alios patricios, qui humiliore loco nati essent, idem fecisse statuendum est! Illud denique tamquam firmissimum argumentum Asherus affert, quod scriptores quidam utuntur locutione *transire a patribus ad plebem*.<sup>48)</sup> Patrum nomine senatores videlicet significari opinatur, sed oblitus est eandem vocem saepissime ad universos patricios spectare. Prorsus igitur nihil est, cur eo transitionis genere, de quo quaerimus, eos tantummodo patricios, qui senatorii ordinis essent, usos esse statuamus.

Neque tamen hunc errorem tanti faceremus, nisi alia inde Asherus duceret, quae non minus videntur reicienda. Transitionem enim ea ratione fieri debuisse fingit, quae quam maxime accommodata esset senatoris patricii conditioni (p. 769). Qui si plebejus fieret, hoc primum ad patres, ex quibus exiret (i. e. ad senatores patricios), pertinuisse ratiocinatur, dein ad plebem, in quam adscisceretur, denique ad universum populum, quippe qui senatorem patricium amitteret. Ex quibus rationibus illud continuo effici putat vir doctissimus, eum, qui ad plebem transire vellet, ante omnia e patribus (i. e. ex senatoribus patriciis) exire debuisse, enim in modum, ut plebejum se fieri velle in senatu profiteretur patresque ejus rei auctores fierent (p. 771). Atqui Clodium hoc fecisse

48) Liv. 4, 16. Suet. Caes. 20. Vell. 2, 45.

jam anno 61 paulo postea, quam incestus iudicio absolutus sit, et eodem fere tempore, quo quaesturae administrandae causa in Siciliam iter pararet. Id enim plane intellegi ex hoc Ciceronis loco (in Clod. et Cur. 3, 2, p. 333 Or.): *Cum se ad plebem transire velle diceret, sed misere fretum transire cuperet*. Sed ex huius orationis argumento apparet, Clodium illud in populi contione Ciceroni dumtaxat minitatum esse. Legimus enim in schol. Bob. p. 330 Or.: *Inde igitur capitalis inimicus in M. Tullium coepit efferri (Clodius) et, cum illo anno potestate quaestoria fungeretur, apud populum creberimis eum contionibus lacescebat, minas quin immo praetendens ad familiam se plebejam transiturum<sup>49)</sup>, ut tribunus pl. feret, denuntiabat*. Ceterum cum ex illo loco (in Clod. et Cur. 3, 2) colligi possit Ciceronem Clodio transitionem denuntianti nullam fidem habuisse<sup>50)</sup>, ad hanc eandem rem Asherus pertinere putat fabulae Claudianae mentionem, quae fit in ep. ad Att. 1, 18, 2: *Etenim post profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Claudianae*. Cujus loci interpretes vehementer reprehendit vir doctissimus, quod haec non ad transitionem, sed ad incestus causam, quae paulo antea Clodio fuerat dicenda, spectare putant. At prorsus recte illi stauerunt, namque statim ipsius iudicii mentio sequitur: *Afflicta res publica est empto constupratoque iudicio*. Vides igitur, quam sit inutilis tota Asheri argumentatio.

Illud deinde cum primo Asheri errore conjunctum est, quod lege centuriata perlata non patriciatum, sed patrum, i. e. senatorum patriciorum dignitatem egerari debuisse putat (p. 774). Nimirum id jus iurandum in senatu datum esse arbitratur. Habes exemplum, quo luculente demonstraretur ex uno errore alios super alios facillime nasci.

49) Videlicet scholiasta transitionem per arrogationem solam fieri potuisse arbitrabatur, cum Clodium anno 59 hac ratione usum esse sciret neque cognitum haberet, quid idem superiore anno agitasset.

50) Quo modo de hac re dubitari omnino potuisset, si in senatu Clodius ad plebem transire se velle sollempnibus verbis professus esset, si ejus rei patres auctores facti essent?

Centuriata lege Asherus et ipse ad justam transitionem opus fuisse statuit, sed antea tribunum plebis in plebis concilio ferre debuisse, ut illa lex rogaretur, id quod in Clodii causa ab Herennio factum sit (p. 772, 780). Nos quidem supra (p. 7 sq.) contra Asherum probasse nobis videmur, nihil omnino de Clodio traducendo in plebis concilio actum esse, sed Herennium ab initio de ea re ad populum tulisse.

Restat, ut Ciceronis quendam locum explicemus, de quo multa Asherus hariolatur (p. 775, 776), quae hic exponere longum est. Legimus enim apud Cic. pro Sest. 7, 16: *Hanc taetram immanemque beluam, vinctam auspiciis, alligatam more majorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit subito lege curiata consul*. Facile universam hujus loci sententiam perspicias. Metello enim consule Clodius, cui tribuno fieri non liceret, erat quodammodo alligatus et vinctus, donec Caesar consul curiata lege, qua plebejus factus est, eum liberavit. Jam vero, si ad singula accedimus, anno 60 Clodius ideo more majorum alligatus et legum sacratarum catenis constrictus fuisse dicitur, quod patricius etiamtum erat, cum nulla lex de eo traducendo perlata esset. Itaque more majorum legibusque sacratis a tribunatu erat exclusus. Quo modo autem explicanda sunt verba *vinctam auspiciis*? Hoc facile intelleges, si ea perlegeris, quae in Ciceronis orat. de prov. cons. 19, 45 de legibus Juliis et de Clodii tribunatu exponuntur. *Nam summi civitatis viri... Julius leges et ceteras illo consule rogatas jure latis negant: iidem illam proscriptionem capitis mei contra salutem rei publicae, sed salvis auspiciis rogatam esse dicebant*. Ea igitur lex, quam Clodius de Ciceronis exsilio tulerat, salvis auspiciis lata esse dicitur. Quod quid sibi velit, ex eis apparebit, quae paulo inferius sequuntur. *Nam si illud (legem, qua expulsus sum) jure rogatum dicere ausi sunt... quia nemo de caelo servarat, oblitine erant, tum, cum ille qui id egerat (Clodius) plebejus est lege curiata factus, dici de caelo esse servatum?* Quod si lex Clodia, quae erat de Ciceronis exsilio, salvis auspiciis lata esse dicitur, hoc ideo fit, quia comitorum tempore nemo de caelo servavit. Jam

vero eodem hoc loco legimus tum de caelo servatum esse, cum de Clodio arrogando lex curiata ferretur. Atqui brevissimo intervallo haec sequuntur: (*nobis statuendum est*) *si patricius tribunus plebis fuerit, contra leges sacratas, si plebejus, contra auspicia fuisse*. Ex quibus verbis manifestum est Clodium ideo contra auspicia tribunum fuisse, quod de caelo servatum erat, cum ad plebem traduceretur. Quare quod idem anno 60 auspiciis vinctus fuisse dicitur, hoc ita haud dubie intellegendum est, ut eo tempore, quo lex centuriata agigaretur, de caelo servatum esse statuamus.<sup>51)</sup>

§ 3. Aliam de transitione sententiam proposuit Dernburgius.<sup>52)</sup> Is enim, qua ratione transitio fieri debuerit, optime ex eo concludi posse arbitratur, quod in universa re publica patres et plebs quasi duas effecerint civitates. Quod si quis e patribus in plebejam civitatem adscisci vellet, hoc ex juris publici ratione vel plebiscito vel per solos plebis magistratus fieri potuisse (p. 103). Atqui hoc eodem modo Dione auctore Clodium ad plebem esse traductum, qui patriatu abdicato a tribunis in plebis concilium admissus sit (*καὶ πρὸς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα ἐς αὐτὸν σφῶν τὸν σύλλογον ἐσελθὼν μετέστη*). Cum enim plebis conciliis patricii legibus excluderentur, tribunos Clodium hoc modo in plebem adscivisse, ut eum in ipsum plebis concilium admitterent. Metellum vero, quod lege curiata opus fuisse iudicavit<sup>53)</sup>, id non sine causa fecisse. Duas enim diversas illo tempore de civitate mutanda fuisse sententias. Namque illud antiquitus jus valuisse apud Romanos, ut nemo populi injussu amittere posset civitatem. Postea autem hoc ita immutatum esse, ut nulla lege lata in aliam civitatem adscisci liceret, qua re ipsa civitas Romana amitteretur (p. 104—106). Atqui simili modo Clodium censuisse, ea re, quod in plebis

51) cf. etiam Cic. de leg. 3, 12, 27: *Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et judicia dantur..... auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae.*

52) Rheinisches Museum, 20. Jahrgang, 1865, p. 90—108.

53) Jam supra (p. 16) vidimus hanc Dionis magis quam Metelli fuisse sententiam.

concilium receptus esset, patriciatum se amisisse et jure plebejum esse factum. Contra Metellum, qui more majorum niteretur, postulasse, ut patricii per curiatam legem ejus rei auctores fierent. Statuit enim vir clarissimus id institutum tralaticium ex eo tempore mansisse, quo comitia curiata non populi universi, sed patriciorum tantummodo fuissent (p. 106). De qua re cum controversia esset, Herennium tribunum pl. tulisse, ut populus centuriatis comitiis judicaret, num legitime Clodius ad plebem transisset. Hanc rogationem a Metello promulgatam esse neque tamen ut suffragium fieret effici potuisse. Postremo, cum nihilo minus Clodius tribunatum peteret, senatum in Metelli sententiam contra leges illum plebejum factum decrevisse eaque re ne tribunus fieret impedisse (p. 107).

Haec si accuratius examinamus, primum in eo errat Dernburgius, quod priscis rei publicae temporibus populi injussu civitatem Romanam amitti potuisse negat. Hoc enim plane refellitur bisce Ciceronis verbis (pro Balb. 13, 31): *O jura praeclara atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a majoribus nostris comparata! ne quis nostrum plus quam unius civitatis esse possit . . . ne quis invitus civitate mutetur neve in civitate maneat invitus*. Ex quo dilucide apparet, si quis civitatem relinquere vellet, nulla lege, qua populus hoc juberet, opus fuisse neque id jus Ciceronis solum temporibus, ut Dernburgius opinatur p. 105, sed hominum memoria in re publica valuisse.<sup>54)</sup> Quodsi, ut Dernburgius statuit, transitio ad plebem eadem ratione fieri debebat, qua civitatis mutatio, dubitari omnino non poterat, quin optimo jure Clodius plebejus factus esset, dum modo in plebejam civitatem esset adscitus. Nulla igitur inter Herennium et Metellum controversia oriri potuit, num patricii auctores fieri deberent. Quod vero Dernburgius, ut haec ipsa controversia dijudicaretur, legem centuriatam

54) Nititur quidem Dernburgius eo, quod ei, qui in exilium abissent, non prius civitatem Romanam amittere potuerint, quam eis aqua et igni esset interdictum. Hoc vero falsissimum est. Cf. A. W. Zumpt, *Criminalprocess der R. Republik*, p. 464.

latam esse statuit, hoc prorsus pugnat cum rerum temporumque ordine, quem supra (p. 11 sq.) constituimus. Vidimus enim mense fere Junio Clodium patriciatum abdicasse et in plebis concilio ad plebis jura transisse. Lex autem centuriata, quam Dernburgius postea demum promulgatam esse arbitratur, jam a mense Januario usque ad mensem Martium agitata est. Haec, credo, sufficiunt ad Dernburgii conjecturam refellendam.

§ 4. Omnium harum sententiarum, quas post Beckeri conjecturam exposuimus, illud est commune, quod tota quaestio proficiscitur ex eo conatu, quo anno 60 Clodius frustra, ut plebejus fieret, nisus est. Prorsus contrariam rationem sequitur Langeus.<sup>55)</sup> Statuit enim omnia, quae ille anno 60 tentarit, contra leges fuisse, justam autem transitionem anno demum 59 secutam esse. Rediit igitur vir clarissimus ad Beckeri sententiam, quam ingeniosa ratione tam feliciter defendit, ut Iheringium<sup>56)</sup>, virum juris consultissimum, patronum ei conciliaret. Antea autem, quam hanc conjecturam explicemus atque examinemus, Clodii arrogatio qua ratione facta sit accuratius erit exponendum.

Ut jam supra diximus, P. Fontejus<sup>57)</sup>, homo de plebe, viginti annos natus<sup>58)</sup>, Clodium arrogavit Caesare consule legem curiatam ferente.<sup>59)</sup> Hac igitur ratione Clodius, cum in plebejam familiam veniret, plebejus factus est. Adoptatum autem Fontejus, ut patris adoptivi potestate liberaretur, statim emancipavit.<sup>60)</sup> Neque ille omnino, ut in filiis emancipatis fieri debebat, patris adoptivi nomine appellabatur, sed Clodio ei nomen erat et Claudiae gentis sacra servabat. Illud enim ex eo potissimum apparet, quod leges, quas postea in tribunatu tulit, Clodiae vocabantur. Nihil igitur aliud mutatum est, nisi quod ei non Claudio, ut antea, sed Clodio

55) Ueber die transitio ad plebem, Leipzig 1864.

56) Geist des Röm. Rechts, III, 1, 279—282.

57) Cic. de dom. 29, 77. 58) ibid. 13, 34.

59) Cic. pro Sest. 7, 16. Hanc legem Caesarem non pontificis maximi, sed consulis jure tulisse bene docet Langeus l. c. p. 26, a. 6.

60) Cic. de dom. 14, 37.

nomen erat. Nimirum, cum ad plebem transisset, accommodavit nomen plebejæ pronuntiationi, quæ in verbis quibusdam diphthongum au in o mutabat (cf. Cic. de orat. 2, § 249).<sup>61)</sup> Sacra autem Clodium retinuisse intellegitur ex Cic. de dom. 13, 35: *Tu neque Fontejus es, neque patris (adoptivi) heres, neque amissis sacris paternis in hæc adoptiva venisti.* Ultimum enim neque non solum pertinet ad verbum venisti, sed etiam ad ablativum absolutum amissis sacris, id quod recte perspexerunt Mommsenius, R. F., p. 408, a. 12 et Langeus l. c. p. 33. Itaque minime assentimur Dernburgio, qui ex hoc eodem loco amisisse sacra Clodium collegit (p. 98). Illud quoque nostræ sententiæ favet, quod Clodius, cum Ciceronis exsulis domum emisset, hujus inferiorem partem Claudiæ genti assignavit (de dom. 44, 116. Cf. Marquardt IV, 144, a. 857, Lange l. c. p. 35).<sup>62)</sup>

Ejusmodi igitur arrogatione Langeus non Clodium solum plebejum factum arbitratur, sed hanc omnino justæ ac legitimæ transitionis fuisse rationem. Sic enim optime explicari, cur ei, qui ad plebem transissent, nomen gentilicium servarint. At quo jure fieri potuit, ut Clodius, cum in

61) Neque nomen gentilicium solum, sed etiam Pulchri cognomen Clodius retinuit. Cf. Cic. de dom. 9, 22: *litteras in contione recitasti, quas tibi a C. Caesare missas diceret: Caesar Pulchro.* Errat igitur Ascherus, qui l. c. p. 778 contrarium sibi videtur demonstrasse. Ceterum Clodio, vel si in Fonteji potestate mansisset, Pulchri cognomen servare licuisset, eodem jure, quo M. Junius Brutus, cum a Q. Servilio Caepione adoptatus esset, postea quoque Brutus vocatus est. Vid. Lange, Röm. Alth. I<sup>2</sup>, 135.

62) Num etiam hereditatis jura Clodius retinuerit, ex Ciceronis argumentatione non potest cognosci. Dernburgius quidem p. 99 hereditatem illum amisisse ex his verbis concludit (de dom. 13, 35): *Ita . . . jure Quiritium legitimo tutelarum et hereditarium relicto factus es ejus filius . . .* Nihil tamen inde sequitur, nam, ut bene Langeus movet p. 37, hoc loco Cicero Clodium ea mente adoptatum esse fingit, ut Fonteji filius esset. Qui si factus erat, neque jam poterat Claudiæ gentis esse gentilis neque hereditatis jura servare. Ceterum si jure Clodium nomen et sacra retinuisse constaret, id quod postea quaeremus, inde etiam hereditatis jus eum habuisse necessaria conclusione efficeretur.



aliam gentem arrogatus esset, paternum nomen et sacra servaret? Respondet Langeus non ex animi sententia, sed fiduciae causa Clodium Fonteji filium factum esse. Complura ejus generis negotia apud Romanos usitata erant, inter quae coemptionem fiduciariam maximam cum arrogatione similitudinem habuisse Langeus accurate probare studet (p. 11—13). Fiebat enim haec coemptio non matrimonii causa, sed eo consilio, ut femina aut sacris aut tutela liberaretur aut testamenti faciendi jus obtineret. Quare femina cum sene faciebat coemptionem, ad quem hac ratione et pecunia et sacra pervenirent. Quo facto coemptionator illam, ut antea convenerat, alii cuidam remancipabat, qui eam manumitteret ejusque tutor fieret. Nimirum eum hominem femina sibi elegerat, quem omnibus in rebus sibi obtemperaturum sciret. Sic fieri poterat, ut tutela, si non nomine, at re prorsus evitaretur. Pecuniam coemptionator et stipulatione restituebat, sacra retinere eum necesse erat. Cum sene autem coemptio ea de causa fieri solebat, ut sacra mox interirent, quod evenire necesse erat, si sine heredibus senex mortuus esset.<sup>63)</sup> Testamenti denique jus femina ideo obtinebat, quod e gente paterna exierat. Cf. Ihering, Geist des R. Rechts III, 1, 270.

Huic negotio Clodii arrogationem aliquatenus respondere facile cognosces. Nam, ut coemptio fiduciaria non matrimonii causa fiebat, sed ut aliud quiddam efficeretur, quod ab ipsius coemptionis natura prorsus esset alienum, sic Clodius non idcirco a Fontejo adoptatus est, ut filius institueretur, sed ut e patriciis exiret et tribunus plebis fieri posset. Utrumque autem negotium e stipulatione, ubi confectum erat, statim rescindebatur. Propter quam similitudinem<sup>64)</sup> Langeus

63) Si feminae sacra gentilicia erant, quod quidem non veri simile est (Savigny, Vermischte Schriften, I, 194), haec jam eo interire debent, quod femina per coemptionem gentem paternam reliquerat. — Ceterum non eo solum consilio, quod supra significavimus, sed etiam aliis de causis senes ad coemptiones fiduciarias quaerebantur. Cf. Savigny, l. c. p. 277, Ihering, Geist des R. Rechts, III, 1, 268.

64) Alia, quae amborum negotiorum communia sunt, affert Langeus

non dubitat, quin fiduciae causa arrogationes fieri pontifices permiserint. Cum enim ab hoc collegio quaeri deberet, quae causa cuique esset adoptionis<sup>65</sup>), nihil aliud opus fuisse, nisi ut in hac ipsa re pontifices coniverent. Qui autem nondum sui juris esset, eum ita ad plebem traduci potuisse, ut a patre apud praetorem alii homini fiduciae causa in adoptionem daretur statimque e stipulatione emanciparetur.

Ex hac argumentatione illud quidem efficitur, Clodii arrogationem pro fiduciario negotio posse haberi, cujus eadem fere fuerit natura atque coemptionis fiduciariae. Neque tamen id quod supra quaesivimus hac ratione explicatur, cur Clodius, quamquam Fonteji filius factus erat, nomen gentilicium et sacra servavit. Hoc minime congruit cum coemptione fiduciaria, qua, quod sciamus, femina sacra amittebat. Ad quam difficultatem expediendam aliud Langeus excogitavit. Statuit enim p. 45, si quis fiduciae causa arrogatus adoptatusve esset, pontifices finxisse eum capite deminutum non esse. Simili modo sacrorum detestationem, quae ante arro-

p. 11—13. Qui illud quoque simulati negotii naturae convenire arbitratur, quod Clodius ab eo adoptatus sit, cujus ipse per aetatem pater esse posset. Hanc videlicet ejus rei fuisse rationem, ut illum non filii instituendi causa arrogatum esse manifesto appareret. Hoc quidem admodum probabile est. Neque tamen viro clarissimo assentimur, quod simili ratione coemptionem cum senibus ideo factam putat, ut nullos liberos quaeri sub oculis caderet. Proposuit quidem hanc conjecturam Savigny, *Verm. Schriften* 1, 192, eamque speciosis argumentis commendavit, sed dubitare licet, ntrum senes illi magis ad fiduciarii negotii naturam illustrandam adhibiti sint, an quia, ut supra vidimus (p. 27), utilitatis ratio ita ferebat, id quod rectissime monet ipse Savigny, l. c. p. 186. Alia tamen causa hic adductus est, ut alteram explicationem potiorum haberet. Monet enim in mancipatione raudusculum ideo usitatum fuisse, ut imaginariam dumtaxat venditionem fieri significaretur. Eadem de causa ad coemptionem senem quaesitum esse, qui viri esset quasi umbra et imago. Quae argumentatio licet sit ingeniosa, tamen non possum, quin eam reiciam, cum de raudusculo longe aliter sentiam. Cum enim prisca aetate Romani aere rudi pro pecunia uterentur (Lange, *R. Alth.* I<sup>3</sup>, 152), hic mos nimirum postea in sollempnibus quibusdam negotiis ad speciem atque usurpationem vetustatis servatus est, quo major eis dignitas adderetur. Cf. Ihering, *Geist des R. Rechts*, II, 2, 566.

65) Cic. de dom. 13, 34.

gationem fieret, rescissam esse. Sic effici potuisse, ut et nomen et sacra et hereditas, quae per capitis deminutionem amitti deberent, retinerentur. Idem in coemptione fiduciaria simulatim esse arbitratur, si femina non sacra amittere vellet, sed illud tantummodo ageret, ut aut tutelam evitaret aut testamenti faciendi jus adipisceretur.<sup>66)</sup>

Sunt haec profecto acute et ingeniose excogitata neque mihi videntur cum juris rationibus pugnare, quamquam variis argumentis adversarii hoc demonstrare studuerunt. Nam quae Mommsenius, *Röm. Forsch.* p. 406 sq. et Dernburgius l. c. p. 93 sq. in universum disputaverunt, egregie refutavit Iheringius, *Geist des R. Rechts* III, 1, 276 sq. et 281. Neque Asheri argumenta (l. c. p. 764 sq.), licet speciosa sint, sufficiunt ad illam conjecturam refellendam. Errat denique Dernburgius p. 96, quod eas fictiones, quae ad juris civilis instituta spectarent, in legibus tantummodo praetorumve edictis, non a pontificibus factas esse arbitratur. Hoc enim Langeus p. 44 et 45 non solum in universum probavit, sed luculento exemplo demonstravit (*Cic. de leg.* 2, 20, 51, 21, 53). Quamquam valde dubium est, num vel ea, quae populi jussu sancta essent, pontificum arbitrio potuerint rescindi, ejus rei nullum exstat exemplum.<sup>67)</sup>

Majorem difficultatem illud habet, quod adoptiones fiduciarias ante belli Punici secundi aetatem in usum venisse non probabile est<sup>68)</sup>, transitiones autem jam antiquissimis temporibus haud dubie fiebant. Hoc enim non Aternii solum et Tarpeji transitione probatur, quae injuria mihi videtur in suspicionem vocari (p. 2 sq.), sed ex eis locis sequitur,

---

66) Hereditatis quoque jura feminam retinuisse putat Langeus p. 42, quia nulla femina coemptionem fecisset, nisi illa jura servare ei licuisset. Sed certe satis multae feminae erant, quae nullam hereditatis spem habebant.

67) Aliud erat, ut bene monet Dernburgius p. 96, si in lege aliam legem, quae populi jussu vel prorsus tolli posset, latam non esse fingebatur.

68) Hoc ea potissimum de causa statuendum est, quod etiam coemptio fiduciaria illo demum tempore vel paulo postea inventa est. Lange, *R. Altth.* I<sup>3</sup>, 120, 2<sup>2</sup>, II<sup>3</sup>, 279.

quibus Dio et Zonaras in universum transitionis mentionem faciunt. Ille<sup>69)</sup> enim multos tribunos plebis eosque audacissimos clandestina caede a patriciis sublatos esse narrat. Ceteros tamen his casibus ab incepto non modo non deteritos, sed eo audacius progressos esse. Tandem eo rem adductam esse, ut vel patriciorum non nulli, cum aliter nihil proficerent, ad plebem transirent tribunatus adipiscendi causa, quem multorum exemplo per duos pluresve annos se continuaturos sperarent. Ex quo plane intellegitur primas transitiones jam prisco illo tempore factas esse, quo plebi acerrima cum patribus certamina erant.<sup>70)</sup> Zonaras autem plebejos anno 445 postulasse narrat, ut ad consulatum sibi aditus daretur, quia patriciis, si ad plebem transissent, tribunis fieri liceret.<sup>71)</sup> Cui testimonio non repugnat, quod idem scriptor alio loco tum, cum tribunorum potestas ad summum fastigium aucta paulatim esset et ei, qui tribunatum gessissent, in senatum legi solerent, vel senatores tribunatus adipiscendi causa ad plebem transisse tradit.<sup>72)</sup> Minime enim ex his verbis colligendum est nullas antea factas esse transitiones, sed nihil aliud significatur, nisi ab illo potissimum tempore etiam senatores patricios, ut tribuni fierent, ad plebem transisse. — Dein etiam per se probabile est jam ante bellorum Punicorum aetatem saepius patricios tribunatum expetisse. Principio enim, cum plebs de aequandis legibus summa contentione cum patribus pugnaret, tribuni magis quam postea universae plebis praesides erant et propugnatores. Facile igitur illo tempore fiebat, ut, si qui tribunus acriter plebis causam egisset, is in posterum annum refice-

69) fragm. 22.

70) Zonaras hunc Dionis locum exscripsit 7, 17, sed ita, ut ipsam transitionem prorsus omitteret. Quae antea a scriptore narrantur, pertinent usque ad annum 470.

71) Zon. 7, 19: οἱ τε γὰρ τοῦ πλῆθους καὶ ἱπατεῖν ἤθελον, ἐπειπερ ἰσημάχων οἱ εἰπατρίδαι πρὸς αὐτοὺς μεθιστάμενοι.

72) Zon. 7, 15: εἰσέπειτα μὲντοι καὶ μετέλαβον τῆς βουλείας οἱ δημομαρξήσαντες καὶ τέλος καὶ τῶν βουλευτῶν τινες ἤξιωσαν δημαρχεῖν. Sequitur jam transitionis mentio.

retur.<sup>73)</sup> Cui rei praeclaro documento est C. Licinii et L. Sextii tribunatus, qui per quinquennium vel soli in re publica dicuntur fuisse magistratus. Nonne, cum talis tribunatus condicio esset, patricios et ipsos ejus magistratus cupidos fuisse putas? Et Dio Cassius in fragm. 22 patricios illo tempore ob hanc ipsam causam, quod multos tribunos magistratum per complures annos continuare viderent, ad plebem transisse dicit, praesertim cum aliter nihil proficerent (ἐπειδὴ μηδὲν ἄλλως ἔγνυτον), i. e. cum consulatus aliorumve honorum spe destituti essent. — Quod si, ut videtur, jam antiquissimis temporibus patricii ad plebem se contulerunt, non potuit fieri transitio per adoptionem fiduciarium, quam ante bellorum Punicorum aetatem in usum venisse non probabile est.

Sed, ut rem conficiamus, accuratius consideremus veterum scriptorum testimonia. Inter quae magni haud dubie momenti est ipsius Ciceronis iudicium. Qui (de dom. 13, 55) non solum per aetatum rationem Clodium a Fontejo adoptari licuisse negat, sed etiam illud reprehendit, quod hanc adoptionem, sicut alias innumerabiles, neque nominis neque pecuniae neque sacrorum hereditates secutae sint. *Tu neque Fontejus es, qui esse debebas, neque patris heres, neque amissis sacris paternis in haec adoptiva venisti.* Num ita Cicero argumentari potuit, si jam pridem pontifices fiducia causa arrogationes fieri permisissent, in quibus filius patrem aetate superaret?<sup>74)</sup> Respondet quidem Langeus (p. 14, a. 3) hac ratione oratorem idcirco uti potuisse, quod nullo pontificum decreto Clodii arrogatio probata sit (de dom. 14, 38). Neque tamen antea Ciceronis argumentationem negligere licebit, quam aliis ejusdem auctoritatis testibus contraria sententia possit defendi. Provocat autem Langeus p. 14, a. 3 ad „clarissimos quosdam viros, principes civitatis“, qui, cum Cicero propter arrogationem contra jus pontificium factam totum Clodii tribunatum irritum esse diceret, jure cum plebe

73) Hoc tantummodo ante leges Licinias Sextias fieri licebat. Cf. Mommsen, Staatsrecht, I<sup>1</sup>, 427.

74) Haec recte monuit Mommsenius, l. c., p. 405, 408.

agere eum 'potuisse judicabant.<sup>75)</sup> Hoc profecto rectissime statuerunt, nam, cum ille populi jussu magistratus esset factus, acta ejus rata haberi debebant.<sup>76)</sup> Neque ipsa arrogatio, licet contra omne jus pontificium facta esset, ullo modo poterat infirmari, quia populus curiata lege eam jusserat.<sup>77)</sup> Itaque clarissimi isti viri, cum Clodii acta rata ducebant, de transitionis genere prorsus nihil judicaverunt. Sed nitiur Langeus Catonis auctoritate, qui Plut. Cat. 40 anno 57, cum in senatu de legibus Clodiis ageretur, sic dicitur censuisse: *παρανόμως μὲν οὐ δῆμαρχον αἴρεθῆναι τὸν Κλωδίων ἐκ πατρικίων μεταστάντα νόμου διδόντος εἰς δημοτικὸν οἶκον*. Ex quibus verbis vir doctissimus collegit (p. 27) Catonem eam transitionem, quae per arrogationem fieret, legitimam putasse. Cui interpretationi minime repugno; illud tamen quaeritur, num jure Clodius nomen et gentem paternam servarit. Quam rem nullo verbo Cato attigit, sed hoc tantummodo dixit, justo modo Clodium tribunum factum esse, quia in plebejam familiam transisset, id quod per leges fieri liceret (*νόμου διδόντος*). Vides nihil hunc locum afferre ad firmandam Langei conjecturam.

Dein contra Langeum gravissimum testem producemus Zonaram, qui transitionem non per arrogationem, sed per patriciatus abdicationem factam esse dicit: *εἰ δέ τις τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὴν τοῦ πλήθους μετέστη νόμοισιν, ἀσμένως αὐτὸν προσεδέχοντο. καὶ συχοὶ τῶν σφόδρα εὐπατριδῶν ἀπέλειπαντο τὴν εὐγένειαν ἔρωτι τοῦ μέγα δυνηθῆναι καὶ ἐδημάρχησαν.*<sup>78)</sup> Arbitratur quidem Langeus p. 6 et p. 20, a. 2 verbis *τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα ἐξωμόσατο* detestationem sacrorum significari, quae ante arrogationem fieri debuerit. Possunt sane

75) Cic. de dom. 16, 42.

76) Hoc bene exposuit Ihering, Geist des R. Rechts, III, 1, 218 sq.

77) Ibid. p. 227: *Mochten die Pontifices bei der Arrogation des Clodius alle Regeln ihres Rechts ausser Acht gelassen haben, daraus folgte im mindesten nicht der Schluss, den Cicero zieht, dass sie nichtig war.*

78) Zon. 7, 15.

haec verba per se spectata in eam sententiam accipi, quoniam sacrorum detestatio nihil aliud erat quam ipsius gentis ejeratio. Patriciatus tamen abdicationem hoc loco intelligendam esse dilucide apparet e locutione qua postea scriptor utitur: ἀπέλιπαντο τὴν εὐγένειαν. Est igitur τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα non gentis, sed generis dignitas („Adel der Abstammung“), i. e. patriciatus. Praeterea Zonaras, si per arrogationem transitiones factas esse significare voluisset, multo brevius et aptius dicere potuit: εἰς δημοτικὸν ὄλιον μετέστη.<sup>79)</sup> Sed quid multa? Consideremus Dionis illum locum, quo exponitur, qua ratione P. Clodius anno 60 ad plebem traductus sit. Utitur scriptor isdem fere verbis, quae modo apud Zonaram legimus: τὴν τε εὐγένειαν ἐξωμόσατο καὶ πρὸς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα ἐς αὐτὸν σφρων τὸν σύλλογον ἐσελθὼν μετέστη. Atqui Langeus inde colligit (p. 5 et 6) Clodium per patriciatus abdicationem ad plebem transisse, quin etiam Bruecknerum Drumannumque reprehendit, quod jam illo tempore adoptionem agitatam esse putant.<sup>80)</sup> Quod si hoc loco Langeus non arrogationem, sed patriciatus abdicationem intelligendam esse statuit, cur non eodem modo Zonarae verba interpretatur?

Satis demonstrasse mihi videor Langei sententiam cum antiquorum scriptorum testimoniis nullo modo posse conciliari. Praeterea, si arrogatio fiduciaria jure pontificio fieri potuisset, certe Cicero in oratione, quam dixit pro Murena, illo loco, quo juris consultorum artificia perstringit (12, 27), simul cum senibus ad coemptiones repertis imberbes arrogatores, qui illis pulcherrime responderent, commemorasset.<sup>81)</sup>

79) Hac ratione etiam filii familias comprehenderentur, quos Langeus per adoptionem ad plebem transisse statuit. Verba autem „εἰ δὲ τις τὸ τοῦ γένους ἀξίωμα ἐξωμόσατο καὶ . . . μετέστη“, si Langei interpretationem sequeris, in eos tantummodo cadere possunt, qui ipsi sacra habebant, quae detestarentur, i. e. in eos, qui sui juris erant.

80) p. 9, a. 4 fin.

81) Illud quoque Langei sententiae videtur adversari, quod Clodii arrogatio nullo pontificum decreto probata est (Cic. de dom. 13, 34.

HOLZAPFEL, transitio.

Quod si quaeris, quo pacto P. Clodius, cum adoptatus esset, nomen gentilicium et sacra servarit, nihil aliud habeo, quod respondeam, nisi conivente pontifice maximo eum haec sibi sumpsisse. Recte quidem Langeus monet (p. 34), Clodio, cum Fonteji filius factus esset, non licuisse suo arbitrio nomen gentilicium rursus mutare.<sup>82)</sup> At, si nihilo minus in gentis Claudiae jura invadere conabatur, quis eum impedire poterat, nisi pontifices, quibus generum et sacrorum ratio curae esse debebat? Neque tamen a collegio quidquam contra Clodium decerni poterat, cum Caesar pontifex maximus, quo auctore id fieri debebat, hujus consiliis faveret. Neque omnino, id quod jam Asperus monuit p. 777, sacra paterna Clodium detestatus esse videtur; quod si fecisset, Cicero sanctissimas caerimonias ab illo turpiter violatas haud dubie questus esset. Quod vero idem dicit (de dom. 13, 35): *neque amissis sacris paternis in haec adoptiva venisti* (cf. p. 26), nescio an hoc revocari possit ad detestationem sacrorum a Clodio omissam. Quam caerimoniam neglectam esse eo magis probabile est, quod trium borarum spatium sufficiebat ad arrogationem perficiendam.<sup>83)</sup>

At Langeus demonstrare studet p. 33 sq. jure Clodium et nomen gentilicium et sacra retinuisse.<sup>84)</sup> Illud enim inde sequi arbitrat, quod leges, quas Clodius in tribunatu ro-

14, 38). Potest tamen Langeus respondere, pontifices ideo a Caesare adhibitos non esse, quia omnes fere Clodio fuerint inimici.

82) Suspiciatur Dernburgius p. 98, Clodium a Fontejo ita emancipatum esse, ut Claudio cuidam ter manciparetur et ab hoc deinde manumitteretur. Emancipatum igitur, cum Claudius ille hac ratione ejus patronus factus esset, videlicet non jam Fonteji, sed hujus nomine vocari debuisset. Sed primum dubitare licet, num Clodius, si non in patriam potestatem, sed tantummodo in mancipium Claudii illius venisset, nomen debuerit mutare. Dein jure Langeus, R. Altth. I<sup>3</sup>, 140 ea de causa Dernburgii conjecturam reicit, quod non explicatur, cur Claudiae gentis sacra Clodius servarit. Negat quidem hoc ipsum Dernburgius, sed injuria (cf. p. 26).

83) Cic. de dom. 16, 41.

84) Hoc si recte se haberet, Clodium etiam hereditatis jura servasse et Claudiae gentis omnino gentilem fuisse cum Langeo statuentium esset.



gaverat, Clodiae appellatae sunt. Quid vero? si ille, etiamsi Fontejus esse debebat, suo arbitrio nullo impediante rogationes suas Clodii nomine inscripserat, num hae poterant aliter vocari? — Neque de sacris Langeus quidquam mihi videtur probasse. Eo enim nititur, quod Clodius, cum Ciceronis exulis domum demolitus esset, in ejus area porticum aedificavit hujusque partem ex plebiscito Libertatis colendae causa Claudiae gentis sacris dedicavit. Hoc tamen plebiscitum tam negligenter compositum erat, ut intellegi non posset, num Clodius, id quod fieri debebat, nominatim dedicationi praefectus esset.<sup>55)</sup> Postea vero Cicerone in patriam revocato de domo ejus ita pontifices decreverunt: *Si neque populi jussu neque plebis scito is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei praefectus esset neque populi jussu aut plebis scito id facere jussus esset, videri posse sine religione eam partem areae M. Tullio restitui.*<sup>56)</sup> Non tam caute pontificibus agendum fuisse Langeus arbitratur, si Clodius legibus Claudiae gentis sacris exclusus fuisset, neque hunc omnino, si res ita se haberet, Claudiae, sed Fontejae gentis sacris porticum dedicatum fuisse. Quae argumentatio duabus de causis reiicienda est. Nam primum pontifices aliter decernere non poterant, etiamsi Clodio per jus pontificum non licuerat Claudiae gentis sacris Ciceronis domum assignare. Hoc enim, dum modo plebiscito sanctum esset, ratum esse debebat<sup>57)</sup> neque tolli poterat nisi aut nova lege aut senatus consulto. Deinde Langeus rem, de qua agitur, non recte exposuit. Namque Clodius decimam solum areae partem in porticu aedificanda, quam Libertati dedicaret, absumpsit, reliquam domum a Scatone quodam dicis causa emptam ipse possedit hujusque inferiorem partem Claudiae genti assignavit.<sup>58)</sup> Haec igitur pars ab ea, quae ad Libertatis sacellum pertinebat, acriter est distinguenda, id quod Langeum videtur fugisse. Plebiscitum autem illud et ponti-

55) Cic. de dom. 49, 129.

56) Cic. ad Att. 4, 2, 3.

57) Ihering, Geist des R. Rechts III, 1, 223.

58) Cic. de dom. 44, 116.

ficum decretum ad eam tantummodo partem spectare poterant, quae Libertati erat consecrata; reliqua domus, sive a Clodio sive a Claudia gente possidebatur, religione libera erat neque num restitui posset a pontificibus judicari debebat.<sup>89)</sup>

Quamquam cur haec disputamus, cum facillime demonstrari possit Clodium et nomen gentilicium et sacra amittere debuisse? Nam, ut Langeo concedamus pontifices in arrogationibus fiduciariis ea ratione usos esse, ut capitis deminutionem minimam fictione quadam rescinderent, num hoc in Clodii arrogatione fieri potuit, quae nullo omnino pontificum decreto probata esset? Hic igitur, cum re vera capite deminutus esset, Fontejus baud dubie esse debebat.

---

89) Cic. de dom. 44, 116: *Domus mea illa prope tota vacua est, vix pars aedium mearum decima ad Catuli porticum accessit.* Praeclare de hoc loco egit Ferratius, quem in eis quae supra exposuimus secuti sumus. Ipsam Ferratii vel potius Ferracii editionem aut epistolas, quas parare difficile esset, non inspeximus, sed tota ejus adnotatio exscripta est in editione Wolfiana, in qua eam legimus.



Princeton University Library



32101 067941524

DRUCK VON J. B. HIRSCHFELD IN LEIPZIG.